

TT.

Vol XVI.


454 28
PRO-CANCELLARIUS.
JACOBUS BORNIUS.
JC_Tus.

**PROMOTIONEM. DOCTORA-
LEM. SEX. JURIUM. LICEN-
TIATORUM.**

I N D I C I T.

ET. AD. EANDEM.

**LECTOREM. BENEVOLUM. OFFICIOSE.
INVITAT.**



Affixa qvæstio est, an fas sit, in Republica
judiciisqve Christianorum torturam tolerare, ut mo-
dum eruendæ veritatis? Jamdudum plures, non Jcti
minus, qvam Theologi, remedium hoc veræ justitiae
& naturali æquitati parum conveniens fuere arbitrati,
haut ita pridem vero non nemo, nec judicem illæsa
conscientia exercere eam posse, nec Jctum desuper responsum ferre,
asserere haut dubitavit. Rationes, qvibus moventur, istæ fere sunt:
Inter judiciarias Eunomiæ Mosaicæ leges, ne minimum qvidem qvæ-
stionis vestigium reperiri, non autem verisimile, si idoneum ista verita-
tis indagandæ esset remedium, Deum, sapientissimum Legislatorem,
tam præclarum criminalis jurisdictionis momentum fuisse prætermis-
sum. Mosen, Josuam, Samuelem, Davidem, Salomonem, Josapha-
tum, Hiskiam aliosqve justitiam, etiam circa criminalia, omnino exacte
& feliciter, sine usu tamen hujus atrocitatis administrasse; nec in novo
Testamento & primitiva Ecclesia ullum hujuscce rei extare documen-
tum. Originem primam Tyrannis deberi. Non esse proportionem
qvæstionis & pœnæ; ipsam dictare rationem, qvæstionis dolorem non
majorem esse debere, qvam dolorem pœnæ ordinariæ, ast vero longe gra-
viora esse tormenta, qvam ipsum supplicium; utique ex vero esse Cassio-
dori assertum: gratius esse, spem citæ mortis expetere, qvam tormentorū
crudelia sustinere, inter supremas enim anhelantis angustias po-
tius esse perire, qvam vivere. Confessionem in tormentis factam, omni-
no non liberam, sed metu extortam, adeoqve talem esse, qvæ ad con-
demnationem judici haut qvaquam sufficere queat; ut vero judex, si
non ex certa scientia, sed vel ex amore, aut odio procedat, etiamsi ju-
stam pronuntiet sententiam, juste tamen non faciat, ita & veritatem non
pro veritate censeri, qvæ dolore eliciatur, tortosqve, qvæ dici velint
qvæsidores, dicere ad exemplum Philotæ apud Curtium doloribus im-
parem, Craterem compellantis, dic qvid me velis dicere? dicam.

* 2

Ex

Ex vero omnino esse, qvod Marcus Tullius pro Sylla dixit: tormenta gubernat dolor, moderatur natura cuiusque, tum animi tum corporis, regit quæsitor, flectit libido, corruptit spes, infirmat metus, ut in tantis rerum angustiis nihil veritati loci relinqvatur. Ipsas leges Romanas fateri, quæstionem rem fragilem esse & periculosam, quæ veritatem fallat facile, ita enim Ulpianum in l. i. §. 23 ff. de quæst: quæstioni fidem non semper, nec tamen unquam habendam, Constitutionibus declaratur: Etenim res est fragilis & periculosa, & quæ veritatem fallat. Nam pleriq; patientia sive duritia ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit: alii tanta sunt impatientia, ut quodvis mentiri, quam pati tormenta velint: ita fit ut etiam vario modo fateantur, ut non tantum se, verum etiam alios comminentur. Imo amplius omnem tormentorum usum interdictum videri in l. pen. ff. eod. ubi Paulus: quæstionis habendæ causa neminem esse damnandum, Divus Hadrianus rescripsit. Pariter facere huc Nov. 134. C. 13. ubi Justinianus vetat irrogari supplicia, quæ membrorum & articulorum dissolutionem trahunt, id qvod in tortura fieri vix negari posse. Denique nuspiam adstringi Judicem, inquirere ita operose in facta occulta, de quibus fides per testes, aut partis confessionem fieri non possit, excusari eum, si debitam adhibuerit diligentiam, quæ investigari nequeant, supremo judicio relinquenda, imo Deum certo respectu non velle, ut omnia occulta à judice temporali eruantur & puniantur, quia statuerit diem, in quo judicaturus sit omnem terram, ibi ibi futurum illud Tribunal, coram quo occulta producenda & examinanda veniant. Male ergo hominem occupare alienum negotium & tam diris modis inquirere, quæ Deus sibi reservavit. Sed quicquid demum contra tormentorum exercitium dicatur, recte nihilominus id etiam inter Christianos retineri, adeoque & illos, quibus de jure respondendi in causis criminalibus potestas data est, decernere ea salva conscientia posse, dubium non est. Postquam enim severissimo præcepto Deus Ter Opt: Max: inquirere in criminis & flagitia jussit, modumque inquirendi in veritatem, certum & determinatum, ubique præcise non definivit, sed illorum potius arbitrio, quibus moderari jurisdictione datum est, quodammodo reliquit, nihil impedimento fuit, quo minus Christiani Principes temperatum tormentorum usum retinerent, indeque nec peccare possunt Jcti, quando secundum leges desuper latae, responsa ferunt. Qvod enim lege divina determinatum non est, facere tamen aliquid, vel ad publicam rem, vel ad ordinem

nem, & decorum in Ecclesia probabiliter putatur, id omne (præsuppositis præsupponendis,) pro lubitu, vel jubere potest, vel vetare Majestas humana; v. g. furtum jure divino prohibitum est, atque ita eodem jure punibile, sed quæ ejus poena esse debeat, id nulla divina lege perpetua, & quæ ad nos pertineat, est constitutum; potest ergo recte à Principe ad suspedium usque, si furta nimium crescentia ita optime à Republica tolli posse videantur, exasperari: pariter cum inquisitio in genere in facinorosos lege divina mandata sit, nec tamen limitatus inquirendi modus præfinitus, nihil vetare potuit, certa & circumspecta ratione quæstiones hic adhiberi; & haec tenus quidem verum omnino est, quod vulgo dicitur: Legem etiam civilem & obligare, & liberare in Conscientia. Quæ in contrarium afferuntur, tanti utique non sunt, ut vel Legislatoris hic auctoritatem infringere, vel Iustum, an contra legem divinam peccet, dubium movere possit. Ad primam rationem nolim equidem ego, quod communiter solet, reponere, instar aliquod torturæ lege Divina proditum esse *Numer. 5, 13.* in potionem amara adulterii exploratoria, item in sortibus circa maleficia occulta, quorum autores ignorabantur, adhiberi solitis, *qvo de Jos. c. 7. v. 14. Et seqq. 1. Sam. c. 14. v. 3. Jon. c. 1. v. 6.* Si quidem potio illa, vix ullam cum tortura civili convenientiam habebat, cum non per modum quæstionis, sed poenæ, qua statim mulier rea moriebatur, adhiberetur, & quemadmodum Deus propter *πληραρδίαν* Judæis libellum repudii concederat, ita & Zelotypia laborantibus subvenire voluit, non ex Tribunal, sed extraordinario miraculo. Quod ad sortes, quas memoravi, attinet, res ipsa loquitur modum quidem in iis indagandæ veritatis fuisse, haut quaque vero speciem torturæ. Ast ob id tamen non sequitur, torturæ usum omnino damnandum, licet enim divina lege introductus non fuerit, satis tamen est, à Deo illum non prohibitum. Utique hodieque utimur non uno suppliciorum genere, quorum in sacris literis mentio nulla facta, sed ideo non magis injusti sumus quam si modum in administranda Politia & Republica diversum ab eo adhibemus, qui Israelitis erat præfinitus. Originem tormentorum absolute Tyrannis imputare, omnino erroneum est, cum certum sit, potius ex instituto Republicæ Atheniensis provenisse, sed & nec ob id solum reprobari poterant, si vel Tyrannum auctorem habeant, cum possibile sit, & eum aliquando, quod cum lege divina & recta ratione non pugnet, jubere posse. Non esse proportionem inter ipsam quæ-

stionem & supplicium, qvod reo subeundum, si confessus, aut convi-
ctus fuerit, omnino falsum. Prudens hic circumspectio à judice, aut
qui sententiam fert, subinde adhibetur, ut ne temere sine sufficientibus
indiciis, nec gradu severiore, quam delicti admissi ratio admittit, præ-
gravetur : Si pœnam dicere velis, rectius quandoque contumaciæ,
quam criminis nominanda fuerit. Confessio, quæ tormentis elicitor, non
magis extorta metu dici meretur, quam si judex, pro Tribunali sedens,
inquisitum vultu sermoneque severo ad veritatem dicendam permo-
vet, imo licet hic metus aliquis subsit, non injustus tamen ille est, aut
talis, ob quem confessio vitiosa censi cœreat. Non sane, aut natu-
rali, aut divina lege ita placide cum facinorosis, aut de facinore tamen
suspectis, agere, aut delicate eos fricare jubemur. Qui ut obstantes
juris civilis textus afferuntur, lecti quidem sunt, sed non satis intelle-
cti. Sane l. i. §. 23. ff. de quæst. tormenta tum demum rem fragilem pro-
nuntiat, si quis his solis niti velit, non suppositis legitimis indiciis &
argumentis, ideoque iis, si solidis rationibus destituantur, fidem non
semper habendam, non secus ac jumentum propter quorundam ad
jurandum facilitatem, fragile ac periculose remedium dicitur, si ni-
mirum minus circumspete adhibeatur. Legis penult. d. tit. sensus
genuinus est, neminem esse damnandum, ut tormentis enecetur, cum
scilicet quæstiones non ad homines puniendos, sed eruendam verita-
tem comparatae & admissæ sunt: Nov. 134. c. 13. Saltem prohibet irro-
gari supplicia, quibus membra mutilantur; Sed ob id torturam, qua
tale quid haut quaque contingit, neutiquam abolet, licet, quod obi-
ter hic addo, nihilominus hodie hujusmodi pœnae, contra Justiniani
prohibitionem, in amputatione manus in locum fustigationis certis
casibus sufficiæ, tum & primorum articulorum ex digitis istis, quibus
Urphera præstata, denuo fuerint introductæ. Tandem verum omni-
no est, reservasse divinum Numen plurima crimina, hominibus occulta-
ta, sanctissimo suo judicio, sed anne quæso exinde colligere licet, im-
punita statim esse relinqenda delicta ea, quæ per testes probari inte-
gre non possunt, adeoque judici ab omni ulteriori inquisitione absti-
nendum. Firma omnino stat sententia, torturam haut invitis legibus
divinis & naturalibus introductam, adeoque & tuto in Republica Chri-
stiana usum ejus retineri, nec eos, qui pronuntiando Constitutiones
desuper promulgatas sequuntur, reatum in conscientia contrahere;
Sed abusus hic omnis tollendus, ne cui certa pœna pro incerto scelere
irro-

irrogetur, ne Magistratus, dum homicidium punire intendit, homicida
ipse fiat, provide & circumspecte hic procedendum est, momenta
causæ, indicia cum circumstantiis omnibus prudenter exutienda, ne
in gradu excedatur, aut aliàs injuria torquendo inferatur, gravissima
qvippe pœna constituta est in judicem, qvi vel dolo malo, vel per im-
peritiam contra leges torsit, : imprimis peccant, qvi aut corporis de-
licti, aut indiciorum certitudinem qvæstione extorquere haut veren-
tur, aut interrogatoria, super qvibus inter tormenta qvæstio instituen-
da, sive nimis & præter necessitatem multa, sive inepta & inutilia for-
mant, ita, ut licet Inquisitus contenta eorum fuerit confessus, con-
demnari tamen ex hoc haut queat, in qvorum censum merito isti re-
ferri merentur, qvi nullo judicio adhibito (ita non semel contigisse
memini) indefinite super articulis inquisitionalibus reum torquendum
jubent, in qvibus tamen & de ætate, & Parentibus, & Patria inquisiti,
& multis aliis, partim ex Actis jam liqvidis, partim ad condemnatio-
nem omnino nihil facientibus, agitur. Sed exeqvi hæc ulterius hac
vice non vacat, peculiari tamen oratione, *de prudentia & circumspe-
ctione in causis criminalibus dijudicandis ubiq; adhibenda*, dicturus sum
die Jovis proximo, mensis hujus sexto, qvem pro **Cancellario**
**Academiæ nostræ, Serenissimo, Reverendissi-
mo ac Celsissimo Principe ac Domino,**
**Domino CHRISTIANO, Duce Sa-
xoniæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium, Po-
stulato Administratore Episcopatus**
**Martisburgensis, Landgravio Thurin-
giæ, Marchione Misniæ & utriusq; Lu-
fatiæ, Comite de Marca & Ravensberg,**
**Domino in Ravenstein, Nutritio nostro benignis-
simo, Domino meo Clementissimo, actui solenni, qvo Sex Licentiatis u-
triusque juris, nimirum**

DANI-

DANIELI ÆGIDIO HEINRICI,
M. GOTHOFREDO NICOLAI } Lipsiensibus,
ITTIGIO,
ANDREÆ MYLIO, Illeburgensi,
WOLFF GANGO GABRIELI Pachelbl à
Gehag, Wohnsidelenfi, Consiliario
Brandenburgico,
FRIDERICO PHILIPPI, Lipsiensi,
HEINRICO SAMUEL I ECCOLDO,
Gerano,

: insignia & privilegia Doctoralia more majorum & ex merito conferen-
tut, destinavi. Qvam panegyrim, ut Rector Academiæ Magnificus,
Illustrissimus Comes à Taube, Consules Civitatis Amplissimi, cæteriq;
utriusqve Reipublicæ Proceres, nobilissimi item Domini Studiosi cele-
brare dignentur, officiosissime rogo. P. P. d. 2. Novembr. M. DC.
LXXIX.

Literis HAHNIANIS.

VOA+

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

SLUB DRESDEN



3 1713080

Coll. diiss. B. 116, misc. 1

B 8